



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

XXXII. Eorum qui post motam quaestionem, vel ab accusatoribus consanguinitatem didicerunt, testimonium non valere. Nominandae sunt etiam personae, & gradus ex vtroque latere distinguendi, nec nisi ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

tenus, vel diuertere: nisi forte illi nupsit, postquam ad annos aptos matrimonii contrahendis peruenerit, & in eum suum omnino negauerit præstare consensum.

CAP. XXX.

Alexander III. Burdegalensi archiepiscopo.

Consuluit nos tua fraternitas, quid tibi faciendum sit de milite quodam, qui cum mulierem quamdam duxerit in uxorem, & eam longo tempore tenuerit, & prolem ex ea susceperit: nunc matrimonium suum accusat, dicens in quarto gradu consanguinitatis esse: ad quod utique consultationi tuæ taliter respondemus, quod si præfatus miles mulierem ipsam in facie ecclesiæ duxerit, & longo tempore tenuerit, non debet vox accusationis suæ admitti, nisi personæ aliæ & idoneæ appareant, & merito suspicionis carentes, quæ matrimonium ipsum velint & possint legitime accusare: nec heredes personæ admitti debent, si per viginti vel octodecim annos insimul sine quæstione remanserint.

CAP. XXXI. *Innocentius Vintoniensi episcopo.*

Super eo quod interrogasti de sacramento coniugii, breuiter respondeo: Illam quam dixisti, a patre coniugi traditam, & ab eo cui tradita fuerat, patri commendatam, donec statuta die in domum suam ille traduceret: dico quod legitimo consensu interueniente, ex eo statim coniunx fuerit, quod spontanea * voluntate sese coniugem esse consenserit, non enim futurum promittebatur, sed præsens confirmabatur. Quapropter quidquid cum alia postmodum factum est in coitu siue in generatione proli, tanto reprehensibilis est secundum, quanto verius primum. Constante enim primo, quanto amplius in Deum committitur, tanto magis culpa augetur. His ergo cognitis, facile erit negotium præsentium latoris tuæ discretioni debito fine terminare.

CAP. XXXII. *Idem Cassinensi abbati.*

Ex literis tuis ad nos directis accepimus, quod cum quidam secreto mulierem viduam subarrasset, & cognoscens carnaliter cohabitasset cum ea per annum, Mundualdus virum mulieris traxit in causam, proponens quod

ANNO
CHRISTI
1179.

illam in potestate sua positam, quasi fornicariam cognouisset: tunc vir & mulier iuramento firmarunt, quod ab anno alter in alterius copulam maritalem consenserat, & de cetero sicut vir & mulier simul cohabitarant. Cum autem nec iuramento fidem mulieris procurator habuit, exegit eam publice subarrari. Quod cum vir publice facere paratus esset in conspectu ecclesie, surrexerunt duo proponentes, prefatam mulieris coniuges in quinto gradu vel sexto consanguinitatis sese contingere: quia pater eius, qui eam subarrare volebat, priorem virum in quarto consanguinitatis gradu attigerit. Vnus autem ita se audiuisse iurauit, alius autem id iurare voluit, & ob hoc licet ille prefatam viduam subarrare distulerit, minime tamen ab eius cohabitatione discessit. Processu vero temporis ad instantiam Mundualdi prefatius vir publice matrimonium celebrauit, & postmodum fere per annum cum vxore permanfit. Nunc autem quaestio prima reuixit, & iurauerunt duo coram archiepiscopo plebano, velut dicis, quod primus vir fuit in quinto gradu consanguinitatis patri viri praesentis. Vnde quia diuersi diuersa sentiunt, quid agendum sit in hoc casu, meis quaeris literis edoceri. Quocirca discretioni tuae per A. S. mandamus, quatenus vtramque partem ante tuam praesentiam conuoces, & facias testes coram te iurare, & adhuc inquiras, a quibus & quando didicerint quod testantur. Si vero post motam quaestionem didicerint, non est iam dictum matrimonium dissoluendum. Similiter nec si ab accusatoribus matrimonii didicerint. Inquisita vero veritate diligenter, si per testes circumspicos & omni exceptione maiores inueneris, quod primus vir patrem superstitis in quinto vel sexto gradu attigerit, non differas sententiam diuortii promulgare. Aequae enim, vt Canones dicunt, abstinendum est a consanguineis vxoris, ac propriis, vsque ad sextum gradum. Ceterum prudentiam tuam nolumus latere, quod personae idoneae nominandae sunt, & gradus distinguendi ab vtroque latere & computandi: nec sunt causae matrimonii tractandae per quoslibet, sed per iudices discretos, qui potestatem habeant iudicandi, & statuta Canonum super his nequam ignorent.

Quorum
testimonia
non valeat.

Personas
nominandas, & gradus ex vtroque latere distinguendos.

Qui iudices futuri?